



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Capvt III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

mo etiam iudicio, qd' ei tūc licebit dicere: Domine, cca  
ce quinq; talenta &c. et audire, Euge serue bone &c. *uniff 25*

CAPVT III.

**Q**vāta solitudine Paulus pro ecclesijs æstuaue-  
rit, hæc aperiunt. Nam cum satana impediē-  
te uenire non posset, misit Timotheum, non solum ut  
cognosceret res eorum, uerumetiam & multo magis,  
ut uerbo ipsius Timothei confirmati, non turbaren-  
tur de Pauli adflictionibus; neq; si forte illic quidam a  
pseudapostolis nuncijs Satanae tentati fuissent, & ab-  
ducti à uia gratiæ ad confidentiam operum, reduce-  
rentur. Tantum tum quoq; timebatur ille lapsus, ut  
non mireris interim ista mala creuisse, quibus Christi  
gratia penitus oblitterata est.

De fide nostra.

Ne quis nos iam male adflictos putet aliter sentire  
quàm ante, sicut qui ad tempus credunt, & in tempo-  
re tentationis recedunt. Neue quis scandalizetur,  
quod ignominiam mundi sustinemus, qui gloriam dei  
prædicamus: quandoquidem quod ista patimur, con-  
firmatio est nostri euangelij. Tantum abest, ut quem  
talia deterreant. sic ad Ephe. 3. Peto ne deficiatis ob  
adflictiones meas, quas pro uobis tolero, quæ est glo-  
ria uestra. Hic uero habes locum, quod Christianorū  
uita in primis prædicatorū sit crux. Nostis, inquit, nos

*Puffius Florii  
Sci*



ANNOT. IOANNIS POMERANI  
in hunc usum positos esse, &c. Matth. 16. Si quis uult  
uenire post me, &c. Ioan. 15. Non est seruus maior do-  
mino suo. Si me persecuti sunt, &c.

### Ille qui tentat.

Id est, tentare solet, hoc est Satan. is tentat non solum  
ad impuritatem carnis, qua fidem labascere faciat, de  
qua uides cap. sequenti: uerum etiam multo amplius,  
quod diximus, per falsos praedicatores, qui non susti-  
nentes, ut fiducia tota in solum deum per solum Chri-  
stum feramur, abducunt nos in fiduciam operum: &  
dum semper nouas traditiones & culturas, siue, ut  
est in Coloss. religiones angelorum, & merita sancti-  
tatis: siue, ut uocant, deuota exercitia inueniunt, do-  
ctrinarum non est numerus. Ita merito fieri debet  
illis, qui unica uia & ueritate, qua Christus est, de-  
relicta, ad deuia deflectunt, nunquam certi in con-  
scientijs quò uadant. Quod enim nunc sanctissimum  
iudicant, post paululum praespecie alterius sanctitatis  
contemnunt: id quod optime norunt, qui ante super-  
stitiosi, ad Christum nunc uere conuertuntur. Hi enim  
nunc omnia pro stercoribus ducunt, quibus ante sancti  
& celebres uidebantur, ut Christum solum lucrif-  
faciant: cuius ignominiam omni specie sanctitatis du-  
cunt magis gloriosam: sicut Paulus de se scribit ad  
Philip. 3. ubi etiã damnat iustitiã legis, ne quid uereamur  
iustitiã traditionũ & adinventionũ humanarũ.



Auerte uero diligenter quod dicit, ne inanis factus  
 esset labor noster, quo significat totum Euangelium  
 nihil prodesse illis, qui abducuntur ab satana in aliam  
 uiam. Est autem euangelium, de solo Christo saluan-  
 dum esse, in quo habes omnia, sine quo habes nihil, si-  
 cut plenius uides ad Coloß. 1. & 2. Et ne dubites de  
 ista seductione dictum, uide quid nam dicat ad Gala.  
 5. Qui inquit in lege iustificamini, à gratia excidistis.  
 Lapsus enim carnis sæpe curante deo, occasio est ma-  
 ioris fidei, quia hic facile erroremprehendimus.  
 Vbi uero in aliud euangelium, id est fictum, sicut ait ad  
 Gal. 1. abducimur, hic proprie satanas regnat: quia  
 fides uera, id est salus tota perijt, & spes non est re-  
 deundi, quia non uidetur error. Angelus enim satanæ  
 se in angelum lucis trãssfigurauit, & demonium quod  
 meridianum esse uidetur, agnosci non potest. Operum  
 prædicatores multa docent, ne cadamus in carnis ui-  
 tia: cum potius hic uigilare deberent, ut fons infide-  
 litatis obstrueretur, unde ista uitia emanant, sicut  
 dicitur ad Rho. 1. Non probauerunt deum habere in-  
 notitia: idcirco tradidit eos deus in reprobam men-  
 tem. Hoc scilicet est quod ad Ephes. 6. dicitur: Non  
 est nobis colluctatio. —

Quoniã nunc uiuimus, id est gau-  
 demus, & satis bene ualemus, &c.

Quandoquidẽ nihil iã aliud nobis tã curæ est, quãna



ANNOT. IOANNIS POMERANI  
ut uos stetis in fide, afflictiones meas nihil moror &c.

Dirigat uiam nostram ad uos.

Scilicet, uelit nolit satanas, bonæ & piæ nostræ intentiones, ut uocant, nihil sunt, sicut nec Pauli aliquid fuerunt. Orandus autem est dominus, ut dirigat omnia nostra, ne lumen quod in nobis est, tenebræ sint & hoc orandus, ut fiat uoluntas eius, &c.

Coram deo.

Non uult hypocrisin, sed dei iustitiam esse in nobis, quæ etiã pro iustitia tunc acceptetur, quando uenerit ad iudicium Christus cum omnibus sanctis, &c.

CAPVT IIII.

**A**dmonet eos de omnibus quæ docuerat, ut sic ambulent, quo abundant magis: id est crescat ex fide in fidem. In primis admonet, ut sancti simus etiam corpore: atque id esse uoluntatem dei, sicut & Rho. 12. dicitur: Obsecro uos, ut exhibeatis corpore uestra &c. Libidinis enim mala horrende saepe damnauit deus: ut in diluio, in perditione Zodomorū, in uindicato scelere Beniamitarum, Iud. 19. Gentium quæ deū ignorant sunt istæ abominationes, sicut uidet ad Rho. 1. Christiani autē uas suū, id est corpus suū, possident cū sanctificatione, non cū adfectu concupiscentiæ, tantū ut quisq; metiatur uires suas, ne incidat in turpitu-